


LVNÆ DIE 15 M. IVNII A. 2015

A.d. XVII Kal. Iulias a. MMXV

I 8 6

M E L L I S S A



FOLIA PERENNI LATINITATI DICATA

AVSPICIIS DOMVS ERASMIANÆ ET ACADEMIÆ LATINITATI FOVENDÆ

SEXIES IN ANNO EDITA

EDITOR RESPONSALIS
Gaius Licoppe

REDACTRIX
Francisca Deraedt

Avenue de Tervueren, 76, Tervurenlaan, B - 1040 Bruxellis.

Tel. + 32 (0) 475.47.55.18 / g.licoppe@skynet.be / www.fundatiomelissa.org

Bureau de dépôt : 4210 Burdinne - n° d'agrément P912128

QVID MINIMUM SIT DISCIPVLOS DOCENDVM

– scripsit Gaius Licoppe (II) –

Inspiciamus nunc religionis mahumetanæ historiam. Initia christianismi fuerunt pacifica; idem dici non potest de Islam. Eius unus conditor, Mahumetus, Arabs dux religiosus, politicus et bellicus, Meccæ natus est circa annum 570. Nulla biographia vere historica conscribi potest, cum de eius vita vix quicquam scriptum sit ante nonum et decimum sæculum, ac narrationes tunc factæ magis sint laudativæ quam vere historicæ. Possumus tamen ut verum accipere eum imprimis caravannas Meccanas in Syriam comitatum esse; tum eius conductricem, viduam divitemque negotiatricem Khadijam, multo maiorem natu, ei nupsisse; eos complures liberos habuisse, quorum quatuor tantum filiæ vixerint.

Mahumetus, quadraginta circiter annos natus, solet Mecca in vicinam speluncam ad meditandum recedere; autumat se ibi vocem audire, angelo Gabriel serius tributam, qua iubeatur verbum Dei recitare. De qua re primum loquitur cum uxore, quæ ei suadet ut suum sequatur fatum propheticum. Rem postea patefacit parvo gregi, quem participant eius consobrinus Ali et eius libertus Zayd, filius adoptivus factus. Post nonnullos annos Mahumetus revelationes in publico proficitur; eius prædicatio pauperioribus Meccæ civibus eo placet, quod, præter monotheismum, propositæ reformationes sociales eis favent; locupletioribus contra hæc predicatio valde displicet, cum cultus complurium deorum, quorum idolæ servantur in antiquo sanctuario *Kaaba*, quæstuosas nundinas et peregrinationes afferunt; insuper sublatio cultus maiorum debilitabit statum socialem potentium familiarum.

Uxore defuncta Mahumetus, potenti columine orbatus, Meccam relinquere cogitur; in solam urbem *Yatrib* hospitio recipitur; postero anno, 622 scilicet, eius asseclæ, inter quos numerantur Abu Bakr et Umar, Mecca in urbem *Yatrib* quoque migrant. *Yatrib* etiam vocatur *Madînat al-nabî* (urbs Prophetæ), quam dicimus Medinam. Ibi Mahumetus fit dux politicus nec non bellicus; ei propositum est Arabicas tribus monotheismo cunire et cum eis in tota Arabia rem publicam theocraticam constituere, cuius lex sit eius prædicatio; cuius rei publicæ novus populus vocatur *umma*.

Mahumetus, ut iudaicas tribus, quæ in civitate *Yatrib* vivunt, sibi conciliet, nonnullos iudaismi usus aptat suæ novæ religioni. Cum vero hæc tribus ad conciliationem non sint pronæ, anno 623 Mahumetus se a iudaismo omnino separat. Aliqua visione monitus, statuit ut fideles iam non Hierosolyma spectantes orent, sed Meccam, cuius vetus sanctuarium *Kaaba* fiat centrum spirituale religionis mahumetanæ. Prædicat suam revelationem solam esse completam, cum apud Iudæos

et Christianos revelatio corrupta sit ab hominibus.

Tunc temporis oriuntur bella inter Meccanos et Medinenses, variante fortuna. Mahumetus eos, qui de suis propositis non consentiunt, repellit, ut duas iudaicas tribus, quas Medina expellit et tertiam, quam exhaurit inter annos 624 et 627. Mahumetus Mecca tandem potitur anno 630; eius sanctuarium, sublatis idolis præter Lapidem nigrum, fit præcipuum sanctuarium mahumetanum, quo quotannis tendit eorum magna peregrinatio; quæ Meccanis mox quæstuosior fit quam antea cultus idolatrorum. Abraham proclamatur sanctuarii conditor.

Paulo post Mahumetus tribuum confœderationem cum urbe *Ta'if*, quæ eius dominationem accipere nolunt, vincit, unde tanta fit eius præstantia, ut undique Arabiæ legati mittantur, qui tribuum deditioem nuntient, tributa afferentes; Mahumetum etiam agnoscunt Prophetam. Nonnullis expeditionibus etiam in dicionem redigit tribus septentrionales; sic fit ut maximam pænisulæ Arabicæ partem regat et ad propriam religionem convertat.

Anno 632 Mahumetus vita Medinæ domi fungitur; ibi sepelitur. Nova religione monotheista plerasque Arabicas tribus, quæ inter se rixari solebant, valuit in unum sub vexillum suum viride cogere; nova potentia nata est in Oriente. Religio mahumetana ab initio artissime coniuncta est cum regimine; latissime diffundetur per maximum imperium, quod primi successores bellando creabunt.

Necesse est aliquid scire de primis Mahumeti successoribus, ut plane intellegatur religio mahumetana. Mahumetus de successionem suam nihil statuit, quamquam sub finem vitæ designet Abu Bakr, qui precem communem regat. Mahumeto defuncto, ei ex comitibus, qui Mecca Medinam primi migraverunt, successorum anno 632 eligunt Abu Bakr, locupletem negotiatorum potentis familiæ Meccanæ, qui dicitur primus Mahumeti assecla fuisse præter familiam. Totam potestatem religiosam, politicam et militarem habet, id quod maximi est momenti: norma enim in orbe mahumetano est artissima coniunctio absolutæ potestatis ducis cum religione «Islam» vocata, quo vocabulo significatur hominem se totum ut servum subdere non solum Deo (Allah), sed etiam duci.

De ea successionem oritur dissensio iam statim post Mahumeti mortem. Ei qui Abu Bakr elegerunt censebant omni Mahumetano licere califæ (i.e. successori) fieri, dum a Mahumetanis eligeretur. Contra, alii autumabant Mahumetum optavisse ut successorum ad suam familiam pertinerent; primus ergo eligendus erat Ali, eius consobrinus, propriæ filiæ Fatimæ maritus.

Abu Bakr factus califa, ubique Arabiae rebelliones statim oriuntur, quae Magna Apostasia vocantur. Califae Abu Bakr magistri militum rebelles vicissim valent domare et iterum in mahumetanam *ummam* cogere. In his tamen pugnis multi Mahumetani perierunt, inter quos non pauci periti recitatores Corani; prophetica enim verba solum ore tradebantur. Dum vivit Propheta, eius revelatio solum ex memoria recitatur (recitatio est significatio vocabuli «coranus»); Iudaei et Christiani contra non sine despectu vocantur «Gentes Libri». Mahumeti tamen asseclae suratas scripserunt, neque semper easdem neque eodem ordine. Quare, suadente Omar, una Corani redactio eligitur, quae mandatur Hafsa, uni ex Mahumeti uxoris et Omar filiae.

Abu Bakr tota Arabica peninsula potitur atque iam incursiones facit in Syriam et Mesopotamiam. Post regnum duorum tantum annorum, Abu Bakr aegrotans obit. Omar, ab eo designatus, anno 634 fit secundus califa.

Omar primus est califa, qui vocetur «imperator credentium». Instituit Mahumetanorum calendarium; dies 16 m. Iulii a. 622, quo primi Mahumetani Mecca migraverunt in oppidum *Yatrib*, incohabit «aevum Hegirae» (i.e. migratio). Eo imperante, Arabes mahumetani bellum incipiunt vicinis civitatibus inferre, Syriae imprimis, ubi Damascus expugnatur. Anno 636 Imperium Romanum Orientale vincitur in magno proelio ad rivum *Yarmuk*; Arabes pergunt per Syriam progredi. Hierosolyma expugnantur anno 638.

Omar definit statutum non mahumetanorum in regionibus expugnatis, qui vocantur *dhimmi* (protecti). Simul ac Syriam, Arabes Imperium Persicum Sassanidarum invadit et celeriter, inter 637 et 643, in dicionem suam redigit. Aegyptum quoque, quae ad Imperium Romanum Orientale tunc temporis pertinet, ab anno 639 aggreditur; Alexandria expugnatur anno 641.

Omar anno 656, a servo Persa, Zoroastris sectatore, in meschita Medinensi graviter vulneratus, paucis diebus post vita fungitur. Ante mortem manum sex virorum designat, qui unum inter se successorem eligant; inter eos sunt Ali et Othman; Othman eligitur tertius califa. Qui vir unus est e Meccae optimatibus; dicitur primus illorum fuisse, qui Mahumeti novam religionem acceperint; duas Mahumeti filias ordine uxores duxit. Intra duodecim annos eius regni, imperium Arabicum semper extenditur, praecipue in Asiam centralem.

Cum diversae Corani redactiones tunc sint in usu, Othman unam tantum redactionem adhiberi sinit, in qua ordo suratarum definitur; deleri iubet ceteras versiones. Nonnulla exemplaria electae redactionis exscribuntur, quae in praecipuas imperii Arabici partes mit-

tantur; earum paucae adhuc servantur, quibus patet textum Corani usque ad nostra tempora mansisse immutatum.

Othmani modus gubernandi multis tantum displicuit, ut anno 656 in domo sua Medinensi a rebellibus obsideretur et trucidaretur. Eadem virorum manus, quae eum elegit, ut successorem designat Ali, Mahumeti nepotem et eius filiae Fatimae maritum. Hic incohantur eventa maximi momenti in orbe Mahumetano.

Mu'awija, eiusdem familiae ac Othman et ab eo Damasci praefectus factus, ab Ali deponitur. Tunc non vult Ali califam agnoscere et amborum exercitus inter se anno 658 committuntur, sed, arbitrio ab Ali media in pugna accepto, decernitur Mu'awija vicisse. Is Damasci manet, dum ille se recipit in urbem *Kufa* in Mesopotamia sitam, quam eligit ut urbem caput; ibi anno 661 interficitur a deceptis fautoribus.

Sunt qui iam a Mahumeti morte Ali solum legitimum Prophetae successorem esse autument; illi vocantur Siitae (i.e. haeretici) a ceteris multo frequentioribus, qui vocantur Sunnitae (dicunt «*sunnam*» esse traditionem propheticam); Siitae autem diffidunt *sunnæ*, quam dicunt esse corruptam. Apud Siitas oportet Ali successores pertinere ad Mahumeti progeniem; hi successores vocantur «*imam*» (dux). *Imam* sunt duces religiosi, qui scientia religiosa eminent, sed regimen non participant, quamquam magni ponderis sunt in decretis politicis ferendis. Omnes recordantur quanti ponderis fuerit in Persia recens *imam*, *ayatollah* (i.e. signa ex Allah) Khomeyni. Siitismus factus est religio Persiae (hodie Iraniae) et partim Mesopotamiae (hodie Irakiae); pauciores Siitae etiam alibi inveniuntur, ubi dividuntur in complures sectas, e quibus notiores sunt una ex Ismaelianis factionibus, cui praest Aga Khan, et Alavitae, secta hodierni Syriae dictatoris, Bachar el Assad.

Califa Mu'awija Damascum facit Imperii Arabici urbem caput novamque successionis regulam instituit: eius successores iam non eligentur, sed ad eius stirpem pertinebunt, Omeiadum scilicet.

Omeiadum stirpe trucidata, ei anno 750 succedit stirps Abbassarum, quae urbem caput habet Bagdatum in Mesopotamia. Ultimus Omeiadum superstes profugus se confert in Hispaniam, ubi califatum suae stirpis servat; sedem habet Cordubae in Vandallia, cuius nomen Arabes mutant in *Al-Andalus*.

Hic non iuvat plura de historia regnorum mahumetanorum narrare; solum dicamus post imperium Arabicum collapsum successisse Turcos ad Islam conversos, e quibus eminent Turci Otomanici; eorum Imperium, expugnata Constantinopoli, septimo decimo saeculo patuit usque in mediam Europam. Nostra solum

hic interest scire omnia hæc regna fuisse tyrannica.

Iterum res maximi momenti est notanda: iam in primis Islam temporibus nonnulli Mahumetani se duci subdere nolunt, sed Deo tantum; hi vocantur «kharedsitæ», i.e. «ei qui exeunt». Initio favebant Ali, at cum is califa tandem factus est, eius regimine decepti curaverunt ut trucidaretur; multas cædes politicas quoque decursu sæculorum perpetraverunt; novissima fuit nex Ægypti Præsidis Anouar el-Sadate. Hæc infitiationis traditio coniuncta est cum terrorismo. Sunt etiam kharedsitarum factiones, quæ anarchiam extollant.

Exstat quoque infitatio philosophica. Theologiæ enim schola rationalista «Mutazilarum» primum locum dabat rationi humanæ et libero arbitrio; floruit a medio nono sæculo usque ad medium undecimum sæculum; populum tamen re vera non affecit ac quarto decimo sæculo omnino extincta est. Mutazilitæ effecerant, ut Omeiadum stirps tolleretur et in eius locum substituerentur Abbassidæ; qui etiam mox facti sunt tyranni. Tamen, eorum iussu, textus multorum auctorum Græcorum in Arabicum translati sunt, e quibus cogitationes philosophicæ et scientiæ, præsertim medicina et mathematica, in orbe mahumetano alitæ sunt.

Mutazilitæ improbabant absolutam potestatem ducis cum politici tum religiosi. Itaque, cum omnia regimina in orbe mahumetano essent tyrannica, religio-

sis faverunt, qui nono sæculo «shariam» rigidam immutabilemque constituerunt; *sharia* significat «viam, qua lex Dei respiciatur»; ab Occidentalibus vocatur «lex islamica». Sharia exigit obsequium erga ducem et fidelitatem erga divinam religionem: credere, obœdire; Mahumetani se ipsos vocant *muslim*, quo vocabulo significatur «is qui se subdit».

Contra Mutazilarum philosophia nititur singulorum responsalitate, proponit aptationem ad novas vitæ condiciones neque novitatem refutat. Hæc sola democratiam non repugnat; iam ante multa sæcula decreta est evertens et moribus extraneis favens; quare regimine oppressa quarto decimo sæculo disparuit.

Sic factum est ut civitates mahumetanæ, cum archaicæ mansissent, modernorum Europæorum impetum undevicesimo sæculo sustinere non potuerint; oppressæ erant timore insoliti Occidentis; timebant libertatem cogitandi, democratiam, individualismum.

Posteriore dimidia parte vicesimi sæculi aliquid novi evenit: permulti enim Mahumetani ex Africa septentrionali et Turcia migraverunt in Europam, ubi vixerunt in civitatibus democraticis; eis autem difficile fuit se his novis vitæ condicionibus aptare. ☞

(Continuabitur)

DEVM AGNOSCIS EX OPERIBVS EIVS

Cic., Tusc. I, 28, 70

DE LITTERIS SÆCVLI XVIII LATINIS PROLVSIO (I)

– scripsit Theodericus Sacré –

« Tam¹ late patet historiae literariae Oceanus! »: ita Michaeli Lilienthal (1686-1750) theologo ac rerum scriptori anno millesimo septingentesimo duodecimo libuit exclamare. Hunc ego Oceanum cum cunctis suis sinibus et recessibus nec circumnavigare possum, neque, si possem, intra horam vel dodrantem horae in tabulas geographicas referre valerem eiusve vobis, auditores spectatissimi, species præclaras ob oculos ponere. Itaque navi celeri, ut ita dicam, propter litora regionis unius solius atque eius fere incognitæ vectus, portum mihi quendam, e multis selectum, legi, ad quem navigium appellerem; quæque egressus ibi videram, ea paucis non exprimere, sed adumbrare vestra causa studui, aliquam ut notionem terræ illius fere novæ haberetis.

Ignotam enim esse opinor provinciam eam de qua sum dicturus, qua continentur litteræ Latinæ sæculo duodevicesimo excultæ. Namque, uti nemo est liberaliter eruditus qui nesciat quid ad cultum civilem contulerint humanistæ qui dicuntur, nemo, qui quantum incrementi litteris Latinis attulerint post Petrarcam per tria fere sæcula Vallæ, Politiani, Bembi, Erasmi, Lipsii, Grotii, Baldei, Sarbievii ceterique novæ et renatæ Latinitatis auctores, sic præiudicata quadam opinione solet existimare virorum doctorum natio minimi esse momenti atque ob id ipsum facile prætermittenda, quæcumque post sæculum septimum decimum vel medians vel exiens Latinis sunt litteris mandata. Qua in re graviter errant. Erroris autem causa in eo mihi videtur esse sita, quod multi credunt illis temporibus factum esse ut Latinæ litteræ, litteris vernaculis victæ et deturbatæ, atque e doctorum atque litteratorum re publica eiectæ, omnino languescerent ac prope intermorerentur. Iisdem iudiciis si credendum est, complures plagæ mortiferæ Latinitati tum infligebantur: oratores enim et legati diversis e nationibus oriundi, ut ad Latinum sermonem tamquam communem antea confugerant, ita regnante Ludovico Galliarum rege eius nominis quarto decimo, tota Europa Francogallicum sibi delegerunt, qui in illius vicem succederet eundemque valde idoneum scientiarum auctores iudicarunt quo inventa sua et cogitata gentibus impertirent. Porro sæculum illud eruditum quod a lumine nomen traxit, a tralaticiiis dogmatis præceptisque alienum fuisse dicitur et opinionum a maioribus Latine Græceve traditarum obrectatores genuisse multos; testem huius rei esse *Encyclopædiam* Francogallicam; nec defuerunt ea tempestate scriptores qui contenderent Latinitatis auctores tritum circa orbem semper versari, imitatione contentos esse sterili. Mæcenates quoque defecisse creduntur. Ceterum qui supererant Latinæ linguæ cultores inter

se nonnumquam digladiari videbantur orta controversia num Latine atque emendate scribere possent cuiusvis nationis cives: Itali enim nonnulli sentiebant extra Italiæ fines natos nihil hac parte valere; quibus quod ceteræ nationes sunt oblocutæ non mirabimini. Præterea Societas Iesu, quæ *ratione* sua *studiorum* quasi quodam propugnaculo Latinæ linguæ usum in orbe catholico valde defenderat, parte eius sæculi posteriore est abolita; unde Latinitati damna illata esse quis neget? Ad hæc, novis rebus in Gallia ortis, institutio quoque immutata est, quo factum est ut in lyceis et gymnasiis e loco principe eodemque tralaticio deiecetur paulatim Latinitas; insuper gliscebatur in annos hominum erga patrias suas veneratio pæne immodica, ut minus coleretur Latina lingua, magis honorarentur litteræ vernaculæ.

At, verum si quærumus, numquam non in tales questus se effuderunt homines docti. Iam ille Muretus (id Terentius Tunbergius nobis in memoriam nuper revocavit), qui sæculo sexto decimo in Urbe floruit, cuius lumen litterarium, egregiis scriptis Latinis diffusum, per amplius tria sæcula totam collustravit Europam, conquestus est quod cum Transalpini Latine et expedite loqui possent, Itali prorsus balbutiebant. Num ea de causa sermonem Latinum e gymnasiis et studiorum universitatibus eiectum esse putemus lectuve indigna quæcumque inde ab eo tempore sunt Latine ab Italis conscripta? Idem asseverare licet de poesi Latina sæculi septimi decimi. Namque Bolæus ille (quem cives sui Boileau appellabant) qui sæculo eodem permulta Gallice, perpauca Latine scripsit, at cuius opera omnia Gallica tam sæpe civitate Latina sunt donata ut eius *Ars poetica* Latinis versibus vel quinquiens sit reddita, sterilis imitationis insimulavit tirones versus pangentes Latinos. Notissimi sunt ipsius de re versiculi Latini, quos ipse Gallice interpretatus est; quos fortasse iuvabit vos denuo audire:

(N. Boileau [Bolæus], *Satira*)

Quid numeris iterum me balbutire Latinis
Longe Alpes citra natum de patre Sicambro,
Musa, iubes? Istuc puero mihi profuit olim,
Verba mihi sævo nuper dictata magistro
Cum pedibus certis conclusa referre docebas.
Utile tunc Smetium manibus sordescere nostris;
Et mihi sæpe udo volvendus pollice Textor
Præbuit adsutis contexere carmina pannis.
Sic Maro, sic Flaccus, sic nostro sæpe Tibullus
Carmine disiecti, vano pueriliter ore
Bullatas nugas sese stupuere loquentes.

Que je bégaye encor sur des rythmes latins?
 Muse, qu'exiges-tu de moi, que les destins
 Loin des Alpes ont fait Sicambre de naissance?
 Tes leçons m'ont servi dans ma lointaine enfance,
 Quand je tournais en vers, d'un métier diligent,
 La prose que dictait un bourreau de régent,
 Et qu'aux règles des pieds je contraignais mon style.
 Alors j'ai pu friper d'un maniement utile
 Smetius et j'ai du, poissant du doigt Textor,
 En lambeaux recousus dépecer son *Trésor*.
 Combien de fois Horace et Virgile et Tibulle,
 Mis en pièces par un poète ridicule,
 Virent avec stupeur leurs débris empruntés
 Gonfler de vains discours des puerilités!

(Nic. Boileau-Despréaux, *Odes. Poésies latines (...)*,
 ed. C.-H. Boudhors (Parisiis, 1960), pp. 24 et 130)

Sit ita sane: tirones riserit Bolæus. Numquis prop-
 terea Latinitam sæculi illius poesin universam flocci
 pendat neglegendamve censeat? Iam primo post
 Christum natum sæculo Seneca rhetor, *Controversias*
 auspicatus, illud sensit, sua ætate litteras, cum diu flo-
 ruissent, necessario esse delapsas: legem esse (ipsius
 audite verba) ut ad summum perducta rursus ad infi-
 mum, velocius quidem quam ascendissent, relaberentur.
 Haud tamen eiusmodi sententia obstitit quominus
 multa deinde per sæcula eædem excolerentur litteræ;
 neque reperitur in philologorum, qui nunc sunt, gregi-
 bus quisquam qui in eam opinionem adduci possit,
 monumenta litteraria vel florente vel ad finem iam
 vergente imperio Romano condita vel lectione vel
 investigatione esse indigna. Contra, ubi de sæculis
 octavo decimo et undevicesimo agitur, eiusmodi dictis
 præsumptisque suspicionibus innixi viri neotericorum
 scriptorum studiosi litteras has Latinas recentiores
 dicam an recentissimas plerumque repudiare solent
 quippe quas affirmant, si cum vernaculis scriptis com-
 parentur, nauci non esse habendas. Errant illi mea qui-
 dem sententia, a vero longe deerrant. Etenim fuit
 sæculum illud duodevicesimum, haud secus ac duo
 quæ antecesserant, litterarum elegantiorum ac
 Latinarum feracissimum; neque mihi illius ævi litteras
 legenti Latinitas in mediocritatem nescio quam pessi-
 mumve in statum delapsa esse videtur, neque valde
 differre ab ætate anteriore. Immo, si quæ commuta-
 tiones magnæ in orbe neolatino sunt factæ aliquando,
 ipse ego medium fere sæculum undevicesimum digito
 monstrem, quo rerum conversiones factas esse credam.
 Ea enim tempestate, cum tam imitatio quam ipsa elo-
 quentia ex imitatione comparanda male audiebat, patri-
 monium illud neolatino e gymnasiis atque Academiis
 paulatim expulsum maiori hominum parti sordere
 videbatur; idcirco thesauri illi Latinitatis recentioris in
 neglectum atque in oblivionem venerunt; quæ fuit
 tanta, ut sæculo vicesimo quasi ex nihilo fuerint
 eruenda monumenta illa priora et ut obscuris lumen

fuerit dandum prope novum.

De his plagis et calamitatibus multa hoc loco mihi
 dicenda erant, auditores, quæ tempore exclusus expo-
 nere non possum. Vos autem, auditores, si talium,
 quales exemplis nonnullis probavi, querelarum studio
 tenemini, aperite librum eum notissimum quem
 Francisca Waquet *Le latin ou l'empire d'un signe* (1998)
 inscriptum in vulgus emisit: quo lecto, testes vobis
 fuisse videbimini mediocritatis quasi cuiusdam Latinæ,
 immo casus et ruinæ. Mihi vero iter aridet longe
 diversum: siquidem divitiarum Latinarum gustum
 vobis sum daturus, quas illud sæculum protulit;
 agrum Latinum, ut Faustini Gagliuffii afferam verba,
 ea annorum centuria nondum quievisse ostendam fruc-
 tusque protulisse uberrimos et suaves; non nullius
 fuisse in litterarum re publica momenti probabo fetus
 illis temporibus editos. Iussu autem reverendi admo-
 dum viri Roberti Spataro, huius conventus magistri,
 orationem quandam satis longam vobis dedi in manus,
 ante hos tres annos Anglice conscriptam necdum typis
 vulgatam; sciatis oportet eam multum ab hac oratiuncula
 differre, quam mihi scribenti alia venerunt in
 mentem operum Latinorum exempla cognitu et lectu,
 nisi fallor, minime indigna.

Creditur esse eloquentia quædam in numeris.
 Proinde ope nundinarum Francofurtensium earumque
 catalogorum numeremus libros, linguarum usus distin-
 guentes; facta computatione patet ibi exhibitâ fuisse
 exeunte sæculo septimo decimo tot fere volumina
 Latina quot vernacula; mediante autem sæculo duode-
 vicesimo, singula Latina pro ternis vernaculis ibidem
 proponebantur. Eæ igitur portiones Latinæ, licet paula-
 tim ceciderint, tamen minime sunt spernendæ. Ergo
 qui viri eruditi quique litterati illis erant temporibus,
 eorum pars longe maior Latine legebat, pars haud
 minima Latine et emendate scribebat. Nam, cum insti-
 tutionis mediæ cardo quasi quidam esset peritia
 ususque Latinæ linguæ, in adolescentia versus Latinos
 pepigerant orationesque Latinas composuerant alumni
 fere omnes. Hinc tota vita scriptorum Latinarum
 veneres elegantiasque recte æstimare valebant; qui
 absolutis studiis humanioribus Academias adierant,
 suam ibi sermonis Latini peritiam adauerant. Tales
 autem condiciones in plerisque regionibus ad sæculum
 illud exiens usque vigeant, quibus efficiebatur ut
 viris eruditis et elegantius esset palatum in Latine
 legendo, et fundamenta iacta, quibus Latine scribentes
 tuto niterentur. Attigi libros editos eorumque nume-
 ros. At in illud sæculum inquirenti ratio est etiam
 habenda codicum manu scriptorum, quibus opera
 continentur Latina. Vix enim credere potestis quot
 asserventur inedita adhuc et adhuc exploranda. Vel hac
 ipsa in Urbe, quæ semper fuit Latinissima, singulæ
 bibliothecæ copia eiusmodi operum ingenti insigniuntur.
 Sunt sane in his quæ quis cum fructu quæque cum
 delectatione legat. Nam ut exemplum afferam, memini

me, cum plura de Iosepho Bernerio comperire vellem, qui cum optimus Latinitatis poeticæ, tum præclarus dialecti Romanæ erat auctor (obiit autem ineunte sæculo duodevicesimo), repperisse fabulam quandam in eo genere scriptam, quod 'Oratorium' plerumque vocatur, quo nomine Latino appellem nescio, 'melodramatium religiosum' forsitan nuncupem; quo Davidis illa et Goliæ pugna sermone semipoetico, homæoteleutis passim conspicuo, narratione brevi erat exposita; notulæ musicæ perisse heu videntur, supersunt versiculi, qui una cum aliis multis eiusdem generis opellis ineditis servantur in Romana bibliotheca nationis Italicæ; en affero versus paucos:

(Golia:) Unde venis? Tu quis es?
 Hæc audebis
 Nec timebis
 Robur mirum,
 Fortem virum?
 Sic te prodit vana spes?
 Unde venis? Tu quis es?
 (David:) Ego sum qui te prosternam!
 Audax derides
 Imbellem quia vides.
 Sed timebis
 Dum videbis
 In me cæli vim supernam.
 Ego sum qui te prosternam!
 (Ios. Bernerius, *David Golie interfecto* (Roma, Bib. Naz., cod. Ges. 240, ff. 135v-139r))

Operæ igitur pretium mihi facturus videtur, si quis ea opera nondum edita publici fecerit iuris. Atque idem facile recordor Parisiis quantam ad desperationem sim olim redactus, cum in bibliotheca nationis Gallicæ et in Genovefensi incidissem in versuum ineditorum milia circiter quinquaginta, quæ conscripserat theologus quidam idemque canonicus Virodunensis, nomine Andreas de Chaligny de Plaine, qui pæne nonagenarius vita functus erat anno millesimo octingentesimo quinto. Qui carminibus lyricis et epigrammatis urbes Europæas quas pedes lustraverat, duces, reges, proceres, scriptores, monumenta, res suo ævo gestas cecinit; hic vir de novis in Gallia rebus deque Ludovico rege Gallico in custodiam tradito erupit in eiusmodi querelas:

(Andr. de Chaligny de Plaine, *Præterita Galliarum felicitas, malum præsens et proximum exitium*)
 Gallos rebelles quis furor incitat?
 Quid tam ferox nunc impietas parat?
 Quæ vis potenter vos coegit
 Omnia iura simul negare? (...)
 Rex ergo nullus, qui modo præpotens
 Et pæne divis ordine par erat.
 Nunc captus et sic absque sceptro
 Carcere clauditur haud honesto. (...)

At vos nefandæ parcite dexteræ!
 Iam tempus instat quod scelus expleat.
 Quales ruinæ vos minantur!
 Fulminibus meritis cadetis!

Le 17 9bre 1790 après souper
 (Paris, Bib. Sainte-Geneviève, cod. 2418, f. 9r-v)

Quod ego exemplum eo libentius attuli, quo facilius mecum sentiretis poetas illos non umbratili indulsisse vitæ neque in efficta quasi quadam republica vixisse, sed suorum temporum fuisse testes ac iudices. Iam gravius atque venustius sinite me ponere exemplum; nam Hieronymus ille de Bosch, poeta Amstelodamensis, eisdem illis exeuntis sæculi annis (1793), cum novandarum rerum consilia cepissent Francogalli, carmen didascaliticum, duobus expositum libris emisit quod *De æqualitate hominum* inscripsit, quod nulla mora Nederlandice quoque versum in hominum manus pervenit. Quo carmine in cælum laudibus tulit civitates Americanas in libertatem vindicatas civitatumque rectores populares. Hæc enim Boschius:

Te libertatis sic testor, America, matrem, (...)
 Civis ubi æquali certat cum cive benignos
 Servatæ patriæ populis ostendere fructus,
 Lex ubi et humanos naturæ temperat æstus
 Atque supercilium sibi subicit omne superbum. (II, 339, 371-374).
 (H. de Bosch, *Carmen de æqualitate hominum* (Amstelodami, 1793))

Compluribus vero ante annis, tertio sæculi decennio, mores Indorum Americanorum sive Indianorum poetice et celebravit et ceteris Pennsylvania civibus quodammodo commendavit Thomas Makin poeta Philadelphenus, quod ætatem Indi degerent quandam auream vitæque innocuæ ac beatæ exemplaria proponerent. Hæc enim Makin in eo carmine, cui est titulus *Descriptio Pennsylvaniae anno 1729*:

Thomas Makin, *Descriptio Pennsylvaniae anno 1729*
 Hanc fera gens Indi terram tenuere coloni;
 Moribus at nunc est mitior usque bonis,
 Pacis amans, Anglis concordia fœdere iunct(i),
 Cura quibus pactam non violare fidem. (...)
 Hi spernunt artes durum fugiuntque laborem;
 Hos vacuos curis libera vita iuvat.
 Hi venatores silvas et tesqua frequentant,
 Quærentes ubi sit præda reperta feræ,
 Unde sibi pelles epulæque parantur inemptæ:
 Utile sunt pelles, merx pretiosa bonum. (...)
 Durior interea exercet vigilantia nuptas,
 Officium quibus est farra parare domi. (...)
 Indorum iuvenes ullum gustare loquorem
 Non licet (exemplar nobile!) præter aquam.
 Mollibus in lectis Indi requiescere nolunt:

Nunc humus est lectus, nunc sibi nuda teges.(...)
 O gens Indorum, vos terque quaterque beati,
 Nulla quibus requiem sollicitudo vetat!
 (29-32; 35-40; 43-44; 51-54; 65-66)
 (*Early American Latin Verse 1625-1825. An Anthology*,
 ed. L.M. Kaiser (Chicagone, 1984))

Obiter monere mihi liceat, si quis litteraria illius sæculi monumenta Latina facile prætermittenda putarit, plane ignarum eum fore Latinitatis in America septentrionali excultæ; nam sæculo septimo decimo nullæ fere ibi fuerunt litteræ Latinæ, aut, si quæ fuerunt, leves, rudes ac pæne inconditæ sunt censendæ; at duodevicesimo sæculo atque undevicesimo mirus ibidem exstitit flos poetarum. Atque eadem fuit fere Americæ Latinæ condicio. Sed, ad rem ut redeam, si quis vestrum adhuc dubitat num illius ævi scriptores poesin ex umbraculis (ut Tullium afferam) in solem atque pulverem prodixerint, adeat Hermannum Krüssel philologum, qui multus nunc est in colligendis poematiis Latinis quæ ad Napoleonem sive Napoleontem spectant, affirmat se ad viginti milia versuum e tenebris eruisse, atque abhinc biennium bene spissum florilegium divulgavit quo continentur carmina quædam ab anno septingentesimo nonagesimo ad octingentesimum quartum condita. Huic autem volumini tria mox adiciuntur ad eundem Napoleonem relata.

Non igitur iniuria Oceani litterarii mentionem factam esse, auditores, iam perspicitis. Varietas quoque et diversitas stili Latini erat illo sæculo, quæ sæculis superioribus non erat dissimilis. Qui rei medicæ aliisque scientiis incrementa suis scriptis afferre studebant, ex his alii ad eam rem nudum fere atque humile dicendi genus adhibebant, alii elegantias venabantur; simili fere modo qui de re publica vel de rebus philosophicis disputabant, aut cultiore utebantur stilo, aut arido et ieiuno contenti rem ipsam, non verba sequebantur. Nam Andreas Ly, sacerdos quidam Sinensis, in variis Særum regionibus dum missionalem fideique catholicæ agit propagatorem, diaria sive commentarios diurnos conscripsit priore sæculi parte, qui si rebus quæ narrantur alicuius sunt momenti, legentibus tamen propter dicendi genus exile iucunditatem afferunt pæne nullam. Nec maiorem ceperis fructum, si evolveris quæ in sessionibus senatus Hungarici acta sunt quæque Latino sermone sunt descripta typisque mox tradita: quin immo, hospes interdum atque in sermone Latino peregrinus tibi videberis; offendes ibi 'projectatum planum' pro 'proposito' aliasque eiusdem farinæ iuncturas, quibus lectis te non solum in medium, quod dicitur, ævum recidisce existimabis, verum etiam altero oculo cæcutire credes, qui multa non videas, multa parum intellegas. Quid multa? Accidebat ergo ut scriptores ad ea vocabula confugere pergerent quæ tum in usu communi erant, postea explosa sunt; meministi me adverbium priscum 'præterpropter', quo 'circiter, fere'

significatur, in dissertationibus eius ævi sæpe legisse; et cum 'hodiernum' primum nescio ubi offendissem, mecum reputabam irrepsissetne in editionem error typographicus; at illud 'hodiernum' vel 'hodiedum' alios deinceps apud scriptores (vel sæculi undevicesimi) mihi occurrebat, cuius vis est 'usque ad hunc diem'. Talia verba fortasse vitanda ut rideret, Klotzius, quem ego scriptorem postea attingam, nova quædam per iocum excogitavit, veluti 'inphilosophice' et, quam ipse pro monstro incurvicervico repandirostroque habeo, vocem 'possibilificis':

((Chr. Ad. Klotzius], *Somnium, in quo, præter cætera, genius sæculi cum moribus eruditorum vapulat* (Altenburgi, 1761))

2. *inphilosophice*: hoc adverbium ego excogitavi; ac propterea mirifice eo delector; nec video cur reprehendi possit.

8. *possibilifex*: hoc nomen feci ad formam *artifex, pontifex, carnifex*. Analogia igitur addicit. Usus fortasse respuit; quem cur curemus nulla causa est. (*Spicilegium verborum, quæ perperam in Thesaurio Gesneriano omissa sunt*)

Sed, ut Klotziana hæc mittam figmenta, illa nova, quæ attuli quæque crebro usurpabantur, *Antibarbarorum*, qui appellabantur, beneficio, e sermone Latino paulatim sunt exturbata; quo in genere sunt libri inde a sæculo septimo decimo editi, iidemque increbuerunt sæculo duodevicesimo. Krebsio igitur, philologo præclaro, viam paravere Iohannes Heineccius, qui *Fundamenta stili cultioris* anno tricesimo sexto edidit, et Iohannes Noltenius qui *Lexicon Latinæ linguæ anti-barbarum* anno quadragesimo tertio divulgavit.

Nulla est igitur causa, auditores, cur sæculi duodevicesimi Latinitatem discrepare a superioribus sæculis opinemini. Immo, si Latinæ eius annorum centuriæ litteræ verbo signandæ mihi essent, nomen notamve eis 'constantia' vel 'perseverantia' inurerem; quam tamen ita intellego, non ut recoctam tum cramben semel atque iterum apposuerint auctores, sed ut, id quod bonæ imitationis est argumentum, nova fere semper et sua traditis vel traliticis argumentis adiecerint. Multi igitur variorum generum cultores id effecerunt, quod Francisco Langio, *Dissertationis de actione scænica auctori* (1727), in fabulis necessarium esse videbatur, ut (ipsius verba affero) «veterum sanctiones temporum nostrorum genio accommodaremus, inhærendo quidem eorum vestigio quantum possemus, aliquanto tamen plus dando libertati». Quo factum est ut Simo Rettenpacherus aliique fabularum auctores embolia singularia comœdiis tragœdiisve suis intersererent, immo et solutam orationem versibus immiscerent aliave nova atque inaudita in sua spectacula introducerent. At fabulæ Latinæ toto sæculo duodevicesimo scribebantur et agebantur; ac adhuc supersunt et codices manu scripti minime pauci et editiones permultæ, quas

tamen neglegunt philologi qui nunc sunt. Non autem diffiteor abolita Societate Jesu, magnum huic litterarum generi damnum illatum esse; namque novæ Societatis Jesu, quæ ineunte sæculo undevicesimo revixit, actiones scænicas Latine exhibere non iam intererat. De fabulis nil amplius addam; tempore enim excludor. ☞

(Continuabitur)

1. Oratio anno 2014 mense Novembri invitante R.P. Roberto Spataro apud studiorum universitatem Salesianam in Urbe est habita cum conventus de Latinitate celebraretur; quam leviter retractavi. Auctiorem textum eumque adnotationibus instructum et in sermonem Anglicum conversum exhibebunt acta conventus eius Romani.

MELOS OBSTINATVM

– scripsit Daniel Blanchard –

Illo die, cum surrexit, audivit intra se melos quod Iserpebat, quod sine dubio integra nocte audierat obsessa mens, iterum et iterum, inter somnia, melos mirum, fere venenosum, nervos arcu fatigatos, usque ad insaniam. Radiophonum tunc pressit, cantiones vero statim ei molestæ fuerunt. Properavit ad tramen metropolitanum (aderat enim tempus operam dandi), ecce melos idem ex longinquo audivit – tremuit – inquietus sonum secutus est per cuculos devios, nihil aliud erat quam pauper senex fidicula canens iuxta crepidinem stationis ferriviariæ. In tramine musica intensior facta est. Eam repellere non poterat, invitatusque mergebatur in denso sonorum fluctu. Cupiditate captus est huius musicæ plena voce canendæ, pudore tamen affectus abstinuit. Illam musicam primum audierat tribus diebus abhinc, apud collegas, qui discum musicum emerant. Nesciebat ipse musicam Bartokianam, nec unquam audierat secundum fidiculæ concentum illum, cuius melopeia tam insolita est. Quid agendum esset, nesciebat, ne impetibus intimi arcus, qui nervos eius fricabat, frangeretur. Inertia in venis modis fundebatur defluentibus, atque mens hebes facta est. Quo tendebat? Plane ignorabat. Cur tramen ascenderat? Nesciebat. Ubinam erat? Num collegæ eum expectabant? Quo pacto huc pervenerat? Respondere iam non poterat. In mente audiebat crebres notas rusticæ saltationis, simul ac profundam harpæ vocem. Voluit auxiliium petere. Solus erat in via.

Repente fuit silentium. Iam altus erat sol in cælo. Ex silentio ortus est cruciatus novus, velut sitis, doloresve in toto corpore. Voluit denuo musicam audire, evanuerat tamen musicæ æstus, atque solum patebant desolatæ cordis terræ. Domum regressus, apud collegas de morbo sese excusavit. In interreti quæsivit secundum Bartokianum concentum, at cum invenit, nihil audivit. Videbat acroama fidicula canens, orchestram se moventem – omnes muti erant. Putavit vanam illusio-

nem esse.

Pugna defessus mature ivit ad lectum, instinctu quodam, cortinas non clausit, itaque a lecto per fenestram vitream cubiculi prospectum in altas urbis turre habebat, lucidas, innumeras, quæ usque ad limen cæli extollebantur. Cogitavit intra se: «opus mihi est feriis» et celeriter obdormivit. Media autem nocte, languore insolito expergefactus est. Os versus fenestram vertit. Statim vidit ingentem lunam, quæ super pallidam civitatem inclinata oriebatur. Sensit cinereum lumen in cute sua, et denuo insanam fidiculæ vocem audivit: vi primum carebat, tunc effrenata rabie raptabatur. Lunam vidit totum cælum radiis occupantem, cubiculumque acuto fulgore inundantem; nec moveri poterat. Gelido furore tenebatur, atque signa in nigro æthere perspiciebatur. Sensit etiam in nudo corpore suo manus, lentas pressasque ut amasii manus. Insana voluptate, repentinis anxietatibus, membrorumque spasmis inebriabatur. Levem se habebat, volare voluisset, at timore tandem superabatur. In lecto supinus gravisque sternebatur denuo. Distendebatur anima. Aurora surgens eum semimortuum invenit.

Sequenti die, accepta quiete modica, cum e lecto surrexit, nihil musicæ audivit. Sibi ipsi videbatur esse rude animal – aut aliquod genus barbari, qui vixisset quondam in parietinis Romanæ villæ, quam ipse ædificare plane non potuisset. Acta diurna consuetudine pulsus in computatro aperuit, et *intellexit*. Verum erat, in ruina propriæ vitæ multis annis vixerat. Præconium statim vidit. Concentus erat ipso vespere, in Odeo municipali. Quid auditurus erat? Iam sciebat. Sine festinatione sedes emit, pulchra vestimenta induit, et museum (supererat integer fere dies) petivit. Novus homo erat. Statuerat animam audire suam, quæ pulchritudinis pastu usque ad insaniam egebat. Nimis diu ab omni cultu humano, ut plerique faciunt, semotus vixerat. Obstinata melopeia illa liberatus erat. ☞

ATLANTIS

II - ATHANASIVS KIRCHER

– scripsit *Francisca Deraedt* –

Athanasium Kircher, eius opera disciplinamque breviter complecti, perdifficile est exercitium, nisi uno tantum vocabulo dicamus eum vere fuisse encyclopædicum. Omnem enim rerum scientiam comprehendere videbatur eminens ingenium huius Iesuitæ in Germania anno 1602 nati, Romæ anno 1680 vita defuncti: et physicam et theologiam et philosophiam, mathematicam, philologiam, astronomiam, musicam, acusticam, archæologiam, chemiam, opticam, medicinam coluit ille magnus peregrinator qui neque astrologiam resve esotericas aut occultas tractare dedignatus est. Quam doctrinam egregie multifariam ipse sine nimia modestia profitetur in narratione vitæ propriæ, cuius manuscriptum Monachi servatur in Bavarica bibliotheca publica:

«Ego itaque, post superatam infantiaæ ætatem, anno circiter decimo, scholis addictus sum trivialibus, primo musicæ, deinde Latinæ linguæ elementis instructus; cum parens non ordinariam in me experiretur habilitatem, summopere me in studiorum fervore continuando animavit; immo, cum imaginationis dono me pollere adverteret, geographiæ principia, quæ sunt de divisione et situ orbis terrarum, domi privatim me, non nisi decennem puerum, summo successu et admiratione edocuit.»¹

Ac re vera Athanasius omnia videtur indagavisse, perspexisse, mensuravisse, etiam turris Babylonici altitudinem, cuius subiuncta descriptio, crede mihi, bone lector, rem non plane intellegenti, monstrat illam turrim lunam attingere non potuisse.

«Concedimus² linguæ unitatem hominibus sæpenu-mero esse utilissimam, contra vero diversitatem ad multa incommodissimam. Verumtamen illud quoque certum est, in memorato casu fuisse appositissimum humanæ transgressionis remedium, nullumque aliud importunius adinveniri potuisse.

«Quis enim nescit, multitudini in malum aliquod unanimiter conspiranti, quantum obesse possit idiomatis unitas? Quippe qui ad flagitium perpetrandum non mediocriter incitare valeat; merito igitur illis hominibus, qui Turrim civitatemque ædificare volebant et in ea simul habitare ceterasque terrarum regiones incultas relinquere, quod omnimodo erat bono publico divinæque dispositioni contrarium, merito inquam, eos Dominus confusione linguarum inter se divisit atque inde ad alias terras seorsum inhabitandas aegit.


«Itaque si recta mente supradicta pensemus et circumstantias temporis, loci atque intentionis illorum

hominum accurate perpendamus, procul dubio etiam seposita sacræ narrationis auctoritate, necessarium erit fateri divisionem multiplicationemque humanorum idiomatum non esse fabulosam, sed vere atque indubitanter divino consilio esse factam et iuste in pœnam superbiæ impietatisque Deo prohibente ædificare volentium inflictam necnon iniquam illorum intentionem toti humano generi atque orbi terrarum perniciosam convenienter tali remedio fuisse impeditam. Et hæc adversus eos, qui præ impietate scripturas sacras facile respuunt, breviter sunt dicta (...)

«Quæritur primo, in quantum homines intra 275 annos (tantum enim spatium temporis inter diluvium et Turris ædificationem intercessit) propagari potuerint. Quamvis vero in præcedentibus humani generis multiplicationem intra 130 annorum spatium factam ad calculum reducere conatus fuerim, hoc tamen loco alium computum nostro instituto magis congruum inimus. Supponamus igitur, totum genus humanum a tribus paribus coniugum, singulari Dei Opt. Max. providentia a diluvio in semen servatis, prodiisse. Secundo singulos annos, singulos coniuges, vel marem vel feminam, procreasse et 14 annorum ætatem coniugio habilem constitisse, quibus positus, per certam singularum circumstantiarum combinationem, humanum genus propagari potuisse invenimus ad 9.094.468 hominum utriusque sexus, quamvis Theophilus Reinaudus³ ad 14.000.000 Turri præsentis fuisse in suis tabulis chronologicis asserat unde nos ad demonstrationem faciendam magis congruum numerum prædictum retinemus multo hoc minorem, quod quamvis alicui forsitan paradoxon videri posset, positus tamen ponendis hunc numerum prodire necessum est, et non dissonat ab iis, quæ supra ex Rabbiniis adduximus. Horum igitur medietatem Turri ædificandæ applicemus, videlicet 4.547.234. Verisimile enim est munia communitatis in certas classes seu ordines fuisse distributa, uti antea dictum fuit, ita ut alii ædificandis casis et tuguriis, alii cædendis lignis, alii fodienda argilla et bitumi congregando, alii fornacibus ad coquendos lateres, alii provisioni et annonæ colligendæ in tanti populi sustentationem occuparentur.

«His quoque ita constitutis, nunc quæritur, si Turrim ædificare volebant, cuius culmen pertingeret ad primum cæli fornem, ut Samaritana lectio habet, sive ad cælum Lunæ, quanta debuerit esse eius altitudo; cui quæstioni satisfaciemus, si altitudinem Lunæ a Turri geometrico prius ratiocinio demonstramus.

«Cum itaque variis rationibus a peritissimis mathematicis 60 milliarum Italica uni gradui terrestri respondere sit compertum, fiat, ut 1 ad 60, ita 360 ad aliud,



A. Kircher, 'Turris Babel', II, p. 42.

factaque operatione iuxta regulam proportionum, prohibet totius terrestris globi ambitus æquinoctialis in milliariibus 21.600, cum circumferentia cuiusvis circuli ad diametrum iuxta Archimedis demonstrationem consistat in proportione tripla sesquiseptima minori vera, vel tripla superdecupartiente septuagesimas primas, maiori vera, et ad invicem se habeant, ut 22 ad 7 vel 21 ad 7 (... [nam lectorem nostrum interficere nolo])

«Inventa itaque semidiametro globi terreni, habebitur ex consequenti in milliariibus Italicis distantia a centro terræ usque ad globum lunarem. Non dicam hic modum, quomodo mathematici in cognitionem huiusmodi distantiae Lunæ reliquorumque planetarum a terra ad proprias eorum sphaeras venerint, cum de iis *Ars nostra Magna Lucis et Umbræ* ceterorumque astronomorum opera huiusmodi inventionibus plena sint. (...)

«Hoc posito (...) habebis 178.672 milliariū Lunæ ad Terram distantiam inventam. Atque tot milliariū alta debebat esse Turris nostra, ut cælum Lunæ tangeret.»

Vix quicquam intellexisti, bone lector, de his computationibus? Non mirum. Itaque auctor benevolus easdem rationes illustrat magna delineatione, quam in huius fasciculi tegumento potes admirari. Inde autem nondum melius intellexisti? Neque ego. Itaque vertamus nos potius ad Athanasii Kircher conclusiones de magna hac quæstione :

«Sequitur primo. Quod si spatio trium milium qua-

dringentorum viginti sex annorum continue a quattuor milionibus hominum fuisset laboratum, et Turris singulis septimanis uno milliari circumquaque ascendisset, Turris dicto temporis spatio non fuisset finita.

«Sequitur secundo. Si omnium silvarum totius orbis terrarum ligna in unum locum fuissent comportata, et totus orbis terrarum in limum seu argillam cessisset, et oceanus cum omnibus maribus et fluviis in bitumen, nec ligna ad coquendos lateres nec ad argillam orbem terræ nec ad bitumen oceanum suffecturum fuisse. Novum igitur orbem condere, eumque hoc duplo maiorem ad hanc fabricam expediendam esse oportebat.

«Sequitur tertio. Quod si eques quispiam singulis diebus 30 milliaria in illo declivi cochleæ ascensu confecisset, octingentorum annorum spatio, Turris apicem non attigisset.

«Sequitur quarto. Hanc Turrim pondere suo multis parasangis superasse Terram; quod ita

ostendo. Sit Turris *abd*, globus Terræ *bcdē*, centrum Mundi *o*. Si igitur totus terrestris globus ad hanc fabricam complendam non erat sufficiens, ergo si aliunde divinitus suppeditata materia Turris demonstratæ magnitudinis super Terram fuisset elata, necessarium erat Terram tantum extra centrum Universi utpote leviolem exire, quantus erat excessus ponderis Turris supra pondus Terræ; quem excessum iuxta staticæ leges cum nos invenerimus decem semidiametros constituere, conclusimus centrum gravitatis terreni globi non iam in *o*, sed in *i* constitui, ibique cum centro mundi congruere; quod si ita, ergo totus terrenus globus extra centrum Universi cum ruina totius Mundi exstitisset. Lector examinet figuram hic appositam,⁴ et verum, quod diximus, inveniet. Vana itaque fuit et stulta mortalium præsumptio, tale quid non dicam cogitare, sed ne attentare quidem velle; ut proinde merito ob temeritatem Deo hominibusque invisam, dum cum cælo bellum inire præsumptuosius attentarent, Deus confusione linguarum tantam temeritatem puniendam censuerit.»

Mirari licet, quales res tam argute tractaverint homines illius temporis doctissimi: mensurare turrem Babylonicam, multiplicationem humani generis a diluvio numerare, ecce quæstiones quas scientia sibi putabat esse enodandas.

Itaque hoc etiam expectandum fuit, Athanasium Kircher Atlantidis locum esse certo certius inventurum. Hoc autem argumentum fuse tractatur in opere,

cui titulus est *Mundus subterraneus*. Legamus ergo præcipua:⁵


«Quod autem Plato dicit, ad suum tempus novem milia annorum effluxisse, quo ista contigisse probat, pariter Ægyptiorum commentum est, qui ut se omnium hominum vetustissimos persuaderent, dici vix potest, quanta annorum exorbitantia in antecedentia tempora ortum suum finxerint. Sed quia hæc omnia fusissime in primo tomo *Ædipi*⁶ demonstravimus, eo Lectorem remittimus. Quare omissis iis, quæ ad nostram rem non pertinent, ad insulam Atlanticam revertamur.

«Atlanticam insulam ingentem omnium sæculorum memoria exstitisse ex præcedentibus patuit; quomodo autem et quando desierit, tam ignotum est, quam ignota tempora quibus viguit. Porro si vera sunt, quæ Veteres de ea referunt, eius sane situm alium non esse dixerim, quam qui Canariis, Asoribus et Flandricis, ceterisque in oceano Atlantico superstitionibus insulis comprehenditur (ut ex apposita hic mappa patet) cuius recensitæ insulæ uti ingentibus et altissimis montibus constant, ita verisimile quoque est altiores Atlanticæ insulæ durioresque partes fuisse, reliquis interiectis minorum montium, vallium planitierumque profundioribus locis, motu terræ absorptis, atque in eorum locum oceano succenturiato.

«Sunt nonnulli, qui hanc terræ continentis partem velint ab occasu, Americæ connexam; sed hoc omni fide caret; hoc enim pacto continens ad fretum Herculeum continuata plus quam ad 90 graduum fere terrestris circuli longitudinis spatium continuasset, quod contra naturæ intentionem fuit, quæ terrestris Mundi portiones ita distribuit, ut semper oceano ambienti sint perviæ, tum ad fontium fluviorumque productionem, tum ad alia naturæ beneficia præstanda (...)

«Ex hoc longiore forsan, quam par erat, discursu, luce meridiana clarius innotescit Terram multo aliam modernis temporibus constitutionem habere, quam olim ante communem orbis cataclysmum, aut etiam post diluvium immemorabilibus sæculis (...) Atque tales quidem et tam horribiles terreni globi conversiones, uti infinitam Dei potentiam, ita humanæ sortis incertitudinem patefaciunt, et mortales huius Geocosmi incolas monent, ut cum nihil perpetuum ac stabile, sed omnia caduca, variis fortunæ casibus et interitui obnoxia cognoscerent, cogitationes suas, studia, animus et mentem, quæ nulla re creata satiari possunt, ad sublimia et sempiterna bona elevent, Deo soli inhiant, in cuius manu sunt omnia iura regnorum et fines universæ naturæ consistunt.»

Duæ cogitationes ad scientiarum philosophiam pertinentes hic percutiunt animum: primum, naturam intentione esse præditam, id est voluntate, eam enim consulto orbem ita ordinavisse ut incolis præsto esset aqua aliaque vitæ necessaria. Deinde, naturæ observationem ad Deum identidem reducere, quamquam variis rationibus: Kircherus nos ad animi elationem exhortatur perspecta rerum fragilitate, hodierni autem physici, scientiæ limites longius et longius removentes, principium invenire non valent, quo hæc omnia, mundum circum circa, rationem rerum, nosmet ipsos cum nostris cupiditatibus et studiis et dubitationibus, denique explicare possint. ☞



Atlantis a Kircherbo delineata: 'Mundus subterraneus', p. 82.

1. Athanasii Kircheri Societatis Iesu vita ab ipso composita, BSB Clm 8295. Transscriptio: Giunia Totaro, *L'autobiographie d'Athanasius Kircher. L'écriture d'un jésuite entre vérité et invention au seuil de l'œuvre*. Introduction et traduction française et italienne, Peter Lang, coll. «Liminaires», 2009.
2. A. Kircher, *Turris Babel*, 1679, II, p. 35 sq.
3. Théophile Raynaud, S.J. (1583-1663), theologus.
4. Hæc est imago, quæ in huius fasciculi tegumento ostenditur.
5. A. Kircher, *Mundus subterraneus*, 1665, p. 80 sq.
6. Athanasii Kircheri *Ædipus Ægyptiacus*, hoc est universalis hieroglyphica Veterum doctrinæ temporum iniuria abolitæ instauratio..., Romæ e typographia Vitalis Mascardi, 1652.

CHARTAPOLIS sive DE GRAPHEOCRATIA

– scripsit Marcus Cristini –

*Indignis si male dicitur, male dictum id esse dico;
verum si dignis dicitur, bene dictumst meo quidem animo.*
(Plauti *Curculio*, 513-514)

Iacet alicubi, inter Gades extremosque Indos, urbs
I pulverulenta, obscura et arida nomine Chartapolis.
Illic nemo libenter moratur, præter eos, qui ibi munere
assiduo funguntur, sine quo, ut sæpe aiunt, orbis ter-
rarum in maximo discrimine esset. Si quis ex illis quæ-
rat, quid officium istud præclarum sit, responsum satis
grave accipiat, quod pauci expedite intellegant.
Sufficiat dicere, oppidum Chartapolitanum regnum
scribarum, officialium actis scribendis, ministrorum ad
facultates dandas negandasque esse. Omnibus, qui
scripto iure sigillato egeant, eo eundem est.

Abhinc menses nonnullos homines duo ex latericio
palatio exibant, affabiler colloquentes. Uterque senex
erat, alter media statura, oculis nigris acrioribusque,
capillis argenteis, camisiam candidam, iaccam nigram
necnon focale fuscum induerat; contra alter ingens
erat, comam olim nigram, nunc albescentem ostende-
bat, toga cum laticlavo atque chlamys eum vestiebant.

«Ulixes, fatis huc te poscentibus adfers!» dixit vir
togatus. «Ego prima mane Chartapolim veni comitatum
uxorem meam Didonem et Annam sororem eius. Iis
opus est censoria fundi Tyri descriptione.» «Ænea,
num Tyrum redire volunt?» «Minime, minime, sed
orta est lis acerrima cum Pygmalione de prædio isto,
sic tabula nunc exhibenda est, ut recti fines monstren-
tur. Anna vere furens erat, cum cognovisset
Pygmalionem clam statuas atque imagines aureas e
prædio abstulisse. Quid non mortalia pectora cogis,
auri sacra fames? Mentitus est dicens illa sua fuisse.»
«Dido et Anna quidem iratæ videbantur.» «Certe. Et,
ut scis, Anna, cum irascitur, loquacissima fit. Id est,
loquacior quam usitate. Quæ mare nunc terras verbis
cælumque fatigat. Spero toto ex corde illas actionem
hanc mox perfecturas esse, aures meæ valde fatigatæ
sunt.» «Una cum mari, terris cælisque.»

Æneas ironiam præterivit. «Et tu, amice, quare hic
es?» «Mihi erat contentio cum grege stultorum, qui
Custodes Arborum Vetustiorum appellantur.»
«Numquam de iis audivi. Qui sunt?» «Natio mente
alienatorum, occupata in otio, gratis anhelans, multa
agendo nil agens, sibi molesta et aliis odiosissima. Ii
dicunt me oleam veterem crudeliter interfecisse.»
Æneas subrisit. «Num versutus Ulixes, cum vacet stu-
diis, necator olearum fit?» «Illi amentes hoc dicunt,
quia, ædificans domum meam, ut scis, oleam abscidi et
trunco eius lectum finxi.» «Certe, historiæ memini, de
ea, nisi fallor, in *Odusiæ* libro XXIII agitur, cum
Penelope...» «Exacte, amice, sentio te, more solito,
mythos nostros optime noscere. At, pro dolor, et cus-
todes illi nefandi arborum mythos cognoscunt. Itaque
multam onerosam mihi solvendam esse censebant.» «Et

quid fecisti?» «Huc veni secretarioque Officii
Arborum, Herbarum necnon Muscorum Tuitiois
membranam ostendi, qua Laertes pater meus, mærore
maceratus, oleam mortuam esse nuntiabat atque mihi
illam abscidendam dabat.» Æneas paulisper siluit cogi-
tans. Deinde elocutus est: «Ulixes, quatenus sciam,
membranæ solum post tempus Martialis poetæ ad scri-
bendum in usum venerunt.» Græcus heros subrisit.
«Fortuna favente, hoc secretarius Arborum non sciebat.
Innoxia astutia grapheocratarum insidias vitavi.»

Vix ea dicta erant, cum Æneas et Ulixes virum cito
properantem conspexerunt. «Amice, nonne ille
Hercules est?» «Recte, video Alciden, at quomodo ves-
titus est? Ubi spolia leonis? Ubi clava ferarum domi-
trix?» «Hodie est vere arbiter elegantiarum!» susurra-
vit Ulixes. Deinde magna voce salutavit. «Ave,
Hercules!» «Ave, et tu in istis chartarum oris mora-
ris?» Æneas eum rogavit. «Avete, amici! Pro dolor ego
quoque Chartapolim adire debeo. Est res maximi
momenti.» «Fortasse orta est lis cum secretario
Arborum Tuitiois?» ex eo quæsivit Ulixes. «Minime,
minime. Sum in discrimine multo peiore. Nam timeo,
ne honore herois priver.» «Quid dicis? Incredibile
est!» «Incredibile, at verum. Grapheocrates maximus
Eurystheus mihi scripsit titulum meum inane ob frau-
dem antiquam esse. Nunc eo rem confutaturus.»
Æneas, indignatione affectus, ait: «Turpe et miserabi-
le! Nemo post sæcula multa gloriosa titulo heroem
orbare potest.» «Macte!» clamavit Ulixes. «Scribæ isti
Chartapolitani perfidiores sunt quam angues. Ii nobis
heroibus clara fama nostra invident. Amice, si vis, te
ad Eurystheum comitabor, ut impetus istius vilis quam
primum repellatur.» «Et ego tecum sum» dixit Æneas.
«De honore omnium nostrum agitur.»

Paulo post tres viri in aulam gelidam ingressi sunt.
In medio mensa scriptoria chartis onusta conspicieba-
tur. Ab læva statua Ægyptii dei erat, qui Thot appella-
tur, in cuius crepidine verba QUOD NON EST IN CHARTIS
NON EST IN MUNDO legebantur. Ab dextra erat grande
dolum æneum, mire cælatum cum scribarum figuris.
Repente turres duæ scriptorum motæ sunt et pone eas
homo apparuit: erat Eurystheus.

«Hercules, moratus es. Præterea, qui sunt isti, qui
tecum sunt? Fortasse patroni?» Heros Græcus statim
respondit: «Ego sum Ulixes.» «Aliud monumentum
temporis acti.» «Scriba, cave! Ira Ulixis longa est!»
«Mihi minarisne, miserrime?» «Ignosce mihi, crede-
bam tibi minas placere. Si possem, donarem te alia re,
ut cerebello novo, hoc tibi opus est.» Eurystheus iratu-
rus erat, sic Æneas, ut querellam vitaret, facete dixit:
«Quicquid id est, timeo Danaos et dona ferentis.»

Grapheocrates illum conspexit. «Quis es? Forsan Ulixis nomenclator?» «Sum pius Æneas, raptos qui ex hoste Penates...»

Hercules sententiam Vergilianam interruptit dicens: «Eurysthee, quæso, ad rem veni! Mihi scripsisti te honorem herois meum ablaturum esse. Scire velim, utrum denuntiatio hæc infamis vera sit necne.» Grapheocrates, scriptis nonnullis celeriter versatis, chartam arripuit aiens: «Ecce, hæc est.» Deinde metallica voce eum rogavit: «Hercules, confiterisne te duodecim labores perfecisse?» «Certe.» «Nonne labores isti famam tuam ubique panderunt?» «Sine dubio.» «Nonne honorem herois consecutus est laboribus optime peractis?» «Iam antea nomen meum haud ignotum erat, sed post labores gloria mea valde aucta est.» «At, si labores mendaces essent, nonne et gloria tua mendax esset, una cum titulo herois?» «Ita, labores tamen verissimi sunt, testantibus historicis, mythographis necnon poetis.» Eurystheus eum perfide aspexit. «Nunc, Hercules, mentitus est. Stabuli Augeæ purgatio non est enim labor heroicus, potius vile opus hydraulicum, sic abhinc heros appellari iam non potes. Si vis, titulum stabularii callidi tibi tribuam.»

Conticuere omnes intentique ora tenebant. Saltem, hoc est quod Æneas, postea, omnibus de illo die memoria immortalis narravit. At vera historia parum differt. Nam post verba Eurysthei heroes tres tumultuose simul clamaverunt et non solum oculi, sed etiam manus ad grapheocratam intenderunt. Eurystheus cito mensam scriptoriam voluminibus ponderosis communit et se ad obsidionem sustinendam paravit. «Scriba pavide, exi, noli te pone chartas abscondere!» aiebat Alcides, umbraculum tamquam clavam destringens.

Minister Chartapolitanus homo haud animosus erat, itaque dixit: «Domini, ira inutilis est, lex plane dicit heroi res vere magnas tempore brevi gerendas esse.» «Homuncule, ego flumina duo rapidiora uno die ex alveo averti.» Ulixes Eurystheum interrogavit: «Estne modus, quo Hercules titulum suum retinere possit?» «Sic, at demonstrandum est illum rem iure heroicam perfecisse. In hoc palatio, tabulato quarto, cubiculo 423, est Officium Rerum Heroice Gestarum. Ibi vos certiores de istis facietis.» Hercules, cunctatione superata, inquit: «Amici, timeo ne Eurystheus recte loquatur. Sola ratio, ut titulum meum servem, est laborem novum peragere et contra chartas scribasque pugnare.» «Cum te consentio» locutus est Æneas. «Nihilominus te non deseremus, usque ad inferos comitaturi sumus!» «Euge!» respondit Ulixes. Et addidit: «Insuper nos omnes, amici, satis experti de inferis sumus.»

Paulo post, scalis innumerabilibus calcatis, heroes ad cubiculum 423 pervenerunt. At porta eius clausa videbatur. Rebus melius inspectis, notaverunt chartulam fori glutinatam esse. Ulixes eam legit: «Confestim redibo.» «Expectandum est» inquit Æneas.

«Quousque?» quæsivit Hercules. «Dum nos moramur, titulus meus expugnatur.» Interea e cubiculo 424 exiverat mulier, quæ, auditis vocibus, ad viros se vertit. «Velitisne fortasse cum collega cubicoli 423 loqui?» «Volumus» respondit Alcides. «Est res maximi momenti!» «Doleo, quod officialis, improvisa capitis gravedine affectus, domi manere coactus est.» «Quid? Et chartula?» «Quæ chartula? Illa? Collega meus semper eam infigit, cum vesperi abit. Est homo subtilis leporis.» «Me miserum, nunc quid agam? Quo pacto honorem meum redimam?» Ulixes paucis verbis mulieri rem explicavit. Illa, brevi oratione commota, sivit viros in cubiculum suum ingredi.

«Ego sum officialis Rerum Heroice Gerendarum, sed, quatenus sciam, vobis libenter subsidio veniam. Ergo, difficultas de labore heroico agnoscendo orta est.» «Exacte, agitur de Augiæ stabuli purgatione» dixit Hercules, spe pollens. «Stabuli purgatio? Est labor satis inusitatus. At nunc in ordinatro meo illum quæro.» Plectris rapide pressis, machina responsum dedit. «Ecce, purgationem domus, stabuli, theatri vel castrorum pro re heroica habere licet.» Alcides exultare incipit, mulier tamen loqui perrexit. «Sed domus, stabulum, theatrum vel castra mira magnitudine esse debent, id est non minus quam decies milia metra quadrata.»

Hercules pallens fatus est: «Pro dolor, nescio magnitudinem Augiæ stabuli.» «Noli timere, in tabulato secundo, cubiculo 237, est Officium Ædificiorum Antiquorum Græcorum, ibi mensuram stabuli certe invenies.» «Sed ego et duo flumina averti...» «Optime» inquit mulier. «Hoc modo res difficilior, ergo illustrior, facta est.» Usa iterum plectrologio, de fluminibus avertendis inspexit. «Flumina avertere vel sistere vel flammis extinguere vel bibendo haurire pro re heroica habere licet. Sed eorum fluxus aquarum maior quam Scamandri esse debet, id est maior quam fluxus 30 metra cubica pro secunda. Officium Fluminum, Rivorum ac Lacuum notitiam de fluminibus prope Augiæ regiam offerre potest. Est in tabulato octavo, cubiculo 879. Postremo est Officium Stabulorum Salubritatis quoque, ubi charta sigillata, foeditatem equilis illius testans, accipi potest. Est in tabulato quinto, cubiculo 543.»

Hercules mulieri gratias maximas egit. Deinde consilium cum amicis cepit. «Tempus agendi venit. Chartæ sigillatæ quam primum obtinendæ sunt, vereor ne Eurystheus aliquid infidi conficiat.» «Verum. Quam ob rem ego remedium contra hoc parandum est» dixit Ulixes. Ille et Alcides aliquantulum inter se locuti sunt, deinde Ithacensis nuntiavit: «Optime, ego ad Officium Ædificiorum pergam.» «Ego ad Officium Fluminum» inquit Æneas. «Et ego ad Officium Stabulorum» conclusit Hercules. «Fortuna favente, tempore meridiano nos ante aulam perfidi Eurysthei iterum congregiemur.»

Æneas metam suam celeriter adeptus est, sed nonnullos extra cubiculum invenit. Itaque se expectantium ordini adiunxit. Ne nihil ageretur, librum e pera sua cepit, signum paginale removit et avidè legere incoavit. Erat nova editio critica *Æneidos*. Modo heros adnuebat, cum opinio sua eadem erat ac editoris, modo leniter fremebat, cum, eius sententia, editor Vergili verba male prodiderat. Interea homines mulieresque prope eum de obscuritate palatii querebantur.

«Fenestræ clausæ sunt, lampadæ non accenduntur, hic aliquid conspiciere difficile fit.» «Macte, Chartapolitani avariores sunt, pecunia pro lampadis electricis solvere nolunt!» «At illis denari pro chartis et atramento semper præsto sunt.» Æneas, qui librum VI attente legebat, fascinatione Vergiliana captus, aliquos hexametros susurravit, dein verba, quæ illi pulcherrima videbantur, tonante voce pronuntiavit, ut strepitum superaret et versus pulchritudinem gustaret: «Quæ lucis miseris tam dira cupido?» Omnes siluerunt Æneanque aspexerunt. Priusquam is intellexerat quid accidisset, vocatus est in cubiculum.

Ibi officialis, rebus cunctis auditis, fluxum fluminum Alphei necnon Penei ordinatraliter examinavit. «Fluxus Alphei ante Troiæ oppugnationem 45 metra pro secunda erat, fluxus Penei 34 metra pro secunda. Chartam de hoc statim scribam et sigillabo.» Heros iam gaudebat, cum alius officialis in cubiculum ingressus est. «Carole, notæ istæ tibi subscribendæ sunt.» «Mox facturum sum, Quinte.» Vertens caput ad Ænean eum rogavit: «Nomen? Cognomen?» «Charta non est mihi, sed amico, qui nunc hic esse non potest.» «Itaque mihi opus est nomine et cognomine delegatoris delegatique.» «Delegator est Hercules.» «Cognomen?»

Æneas cunctatus est: heroibus cognomina non erant, at grapheocratæ id intellegi non poterant. Ergo dixit: «Alcides. Ego...» et hic desiderio sententiæ Vergilianæ proferendæ indulsit: «... sum pius Æneas, raptos qui ex hoste Penates classe veheo mecum, fama super æthera notus.» Alter officialis aures attente præbuit. «Classis? Penates rapti? Unde?» «Nos Troia antiqua, si vestras forte per aures Troiæ nomen iit...» «In Asia?» «Sic. Ut aiebam, diversa per æquora vecti...» «Vectigalia solvistine?» «Vectigalia?» «Immo, vectigalia rerum ex Asia venientium haud modesta sunt. Ea solvistine an non?» «Minime, illo tempore...» «Id suspicatus sum cum primum te vidi. Nam ærarii officialis peritus sum. Fraudator fisci es!» Æneas se defendit adfirmans vectigalia tunc non esse, at officialis respondit: «Sit ita sane, at post quidem solvenda erant.» Cum iam heros de salute desperaret, inopinatum auxilium advenit.

Nam in cubiculum ingressæ sunt Dido et Anna. «Æneas, te per horas duas toto in palatio reperire conata sum. Ubi eras?» «Ego...» «Quæ sunt istæ?» «Uxor mea et soror eius.» «Fraudatores fisci et illæ?» «Scriba demens, quid dicis?» exclamavit Dido indignabunda.

«Nos non fraudamus, sed fraudamur, et quam ob causam hic sumus.» «Quid? Alia fraus?» «Eloquar an sileam?» inquit Anna. «Utinam sileret» cogitavit Æneas, at statim intellexit uxoris sororem utilissimam fieri posse. Nam flumen implacabile verborum (cuius fluxum nemo umquam mensuravit) ex illius ore genitum est. «Ego sum Anna, Beli filia, misera soror Pygmalionis, qui nunc, opibus ingentissimis in voluptatibus et nugis inanibus dissolutis, fraude ac dolo bona mea Didonisque cepit, spernens iustitiam, despicens ius et fas, arbitrans nos, mulieres inermes, iniuriam infandam, quam audientes homines probi quot sunt horrescunt, passuras esse, ut lis cum fratre vitetur discordiæque familiari fores obdantur...»

Æneas ad officialem appropinquavit et chartam indicavit. Ille omnia intellexit, scriptum sigillavit, signavit atque ei dedit. Posthac Troianus portam uxori indicavit. Dido manum sororis loquentis cepit et eam querelantem ad limen duxit. Ærarii scriba debiliter Ænean retinere temptavit, heros tamen dixit: «Si quid adhuc obscurum est de vectigalibus solvendis, Anna omnia explicabit.» Officialis respondere ausus non est.

Dum hæc in Officio Fluminum agebantur, Ulixes extra cubiculum Ædificiorum expectabat. Discurrens cum præsentibus cognovit officialem mulierem superbam, facie Gorgonibus digna, indole multo peiore, esse. Quæ chartam sigillatam solum post moras longas et verba contumeliosa dabat, si quidem dabat. Igitur statuit, ut astutia sua uteretur. Ingrediens officialem longe spectavit, inde orsus est: «Nemo mihi dixit in hoc officio deam esse. Supplex oro te, si quæ dea est – credo te Dianam esse, cui simillima forma, statura, facieque es – misero homini parce! Si contra mortalis es, ter beati pater et mater, ter beati fratres, sed beatissimus erit quicumque te donis magnificis uxorem duxerit.» Dictis his verbis terribilis mulier mansuetior facta est quam agnus.

Cum Ulixes urbane colloqui incohavit et post breve tempus charta iure sigillata, attestans Augiæ stabulum magnitudinem viginti milia metra quadrata patuisse, scribebatur. «Nomen delegatoris iam scio, at, pro dolor, nomen delegati non cognosco» dixit Ulixem voluptuose apiciens. Heros, Polyphemi memor, periculum sensit. Ita respondit: «Nemo est nomen meum, Nemo appellatus sum a matre patreque et ab amicis.» Mulier mirata est. «Nonne istud est nomen alicuius hominis in libro celeberrimo? Quis erat?» Parva cogitatione elapsa respondit: «Certe, nunc memini! Est nomen navarchæ illius fabulæ Iulii Verne, quæ *Viginti milia leugarum subter maria* nuncupatur.» Ulixes subrisit. «Exacte, intellego mulierem doctam ante me sedere.» «Cognomen?» «Outis.» «Estne Turcum cognomen?» «Græcum.» Post minuta decem Ulixes e cubiculo cum charta exivit, risum difficulter frenans.

Hercules interim pro Officio Stabulorum erat.

Expectantium ordine haud brevi inspecto, vidit vultum notum. «Ave, Promethee!» «Ave, Hercules. Te non agnovi in istis vestibulis.» «Clava et leonis pellis domi manserunt, grapheocratas terrere minime volo!» «Quomodo te habes?» Heros tristem casum suum narravit. «Sursum corda, amice. Certus sum te laborem hunc more solito bene perfecturum esse.» «Et quæ fuit Chartapolim tibi causa videndi?» «Re vera hic sum, ut fratri meo Epimetheo subsidio veniam. Ille, stultus, cum uxore sua Pandora officinam vasorum condidit. At de ædificandi facultate ne in somnio quidem cogitavit, sic multatus est. Nunc in Officio Instrumentorum Domesticorum Fabricarum versatur, ubi, favente fortuna, facultatem obtinebit.» «Quid ergo hic es?» «Olim in loco officinæ, erat stabulum, sic opus est nunc charta peractæ bovilis purgationis testante.»

Hercules, qui rerum harum oblivisci malebat, ex eo quæsit: «Dic mihi, Promethee, scio te in Caucaso dudum fuisse, quid illic fecisti?» «Hercules, ut scis, ego avium studiosus sum et in Caucaso species permultæ sunt, modo notæ, modo raræ, modo nondum cognitæ. Itaque mox librum publicabo, qui *Thesaurus Avium Viventium necnon Extinctarum Caucasicarum* inscribitur. Facturusne operæ pretium sim, si a primordio mundi res avium illius regionis perscripserim, nec satis scio nec, si sciam, dicere ausim, sed cupio species tam veteres quam novas melius investigare. Ante menses tres, exempli gratia, inveni vulturem rups summis habitantem scientiæ nondum notum.»

Hercules oscitavit et Prometheus intellexit illius aves perscrutari parvi interesse. Itaque inquit: «De studiis meis autem satis dictum. Quomodo se Deianira habet?» «Uxor mea bene valet. Hebdomada peracta anniversarium nuptiarum nostrarum magnis cum epulis celebravimus. Tunc me veste ista donavit, aiens mihi aliquando hirsuti costas leonis exuendas esse, ut quid elegantius gererem. Hæc, exempli gratia, est iacca novæ societatis textilibus gignendis, quæ *Nessus* appellatur.» «Et filius tuus Hyllus?» «Is et Iole uxor eius optime valent. Die natalicio meo una cum Alcæo apud me cenaverunt.» «Alcæus?» «Est nepos septem annorum, puer bonus. Nunc expedite legit et libellos pictographicos vorat. Cum in domo mea esset, libellum cum titulo *Godzilla VII* perlegebat. Ego nesciebam, quid iste Godzilla esset, sic mihi narravit historiam satis intricatam de monstro illo. Dein dixi: 'Igitur libellus hic de Godzillæ facinoribus agit.' 'Sic est - inquit - et de monstro alio, quod multo terribilior est quam Godzilla.' 'Quid est?' quæsi. 'Cacus? Argus? Medusa?' 'Minime' respondit. 'Est Godzillæ socrus.' Amice, libelli isti sagaciores sunt quam videntur.» Paulo post Prometheus in cubiculum intravit; inde et Hercules ingressus est. Heros statim lapidem marmoreum in parietem fixum vidit, qui sententiam hanc literis aureis ostendebat: *Unius ætatis sunt quæ fortiter fiunt; quæ vero pro utilitate reipublicæ scribuntur æter-*

na sunt.

Sapientiam arcanam meditatus, Hercules oculos ad officialem intendit. Confestim sensit non solum rei publicæ utile, sed etiam scribam inter æterna numerandum esse. Nam senex venerabilis erat, H. Calchas nomine, capillis nive candidioribus, barba fluenti, voce rauca, satis surdus. Hercules ei cuncta iterum atque iterum narravit, postremo vir rem intellexisse videbatur. «Augiæ stabulum? Id memini, illud olim visitavi, erat fœdissimum, nulla purgatione per sæcula facta.» «Consentio et mihi opus est charta sigillata hoc attestante.» Officialis schedam cepit et lente scripsit. Dein rogavit: «Nomen? Cognomen?» «Hercules.» «Quid?» «Hercules.» «Quid?» «Hercules, hercule!» «Comprehendo, ululandum non est. Ergo, nomen: Hercules; cognomen: Hercule.» «Minime, ego Hercules solum appellor, hercule!» «Hercules Solum Hercule? Nomen difficile est.» «Ita non est, Hercules vocor. Intellegisne, hercule?» Senex perturbatus est. «Ego Herennius sum, non Hercules. Appellarisne tu Hercules an non?» Minutatim officialis nomen intellexit. Cognomine Alcida accepto, chartam sigillavit.

Postremo amici ante aulam Eurysthei convenerunt. «Ulixes, chartam tuam habesne?» «Certe, officiali ipsi verba dedit, ut ea potirer. Et alia res, de qua disseruimus, perfecta est.» «Bene, Ænea, chartam habesne?» «Habeo, labor omnia vicit improbus et duris urgens in rebus egestas.» «Optime, nunc nobis ad Eurystheum eundem est!» Procul campanæ duodecies sonaverunt.

Heroes tres ad scribam ingressi sunt, ab læva erat Ulixes, ab dextra Æneas, in medio Hercules. Contra stabat Eurystheus, ab læva Thot, ab dextra dolium. «Ventum ad supremum est» inquit Anchisæ filius. «Scriba, iure heros sum!» locutus est Alcides. «Flumina avertere et stabulum purgare, legibus tantibus, res heroicæ sunt!». Grapheocrates perfide subrisit. «Gaudeo, sed omnia hæc inania sunt, quia post laborem actum salarium accepisti.» «Falsum est, Augias mihi mercedem promissam numquam dedit!» «At promissio sat est, ut labor nullus sit. Et unus labor nullus sat est, ut herois honor tibi auferatur.» Stupor impediabat, quin Hercules loqueretur. «Et nunc quid faciamus?» inquit Æneas. «Nihil» respondit Eurystheus. «Vos estis solum reliquiæ temporis acti. Hæc est hora nostra et potestas chartarum!» «Verum» fatus est Ulixes, inspiciens horologium armillare suum. «At ruit hora.» Dein e porta exit atque resonanti voce clamavit: «Venite, tempus est!»

Turba vociferans in cubiculum venit: adfuerunt leo Nemeæus (nunc frugivorus), Hydra Lernæa (gerens perspicilla novem), Cerva Cerinæa (cuius cornua decursu temporis aurum amiserunt), Aper Erymanthius (re vera erat Aper Calidonium, cognato eius in Tuscia feriis frunte), Augias ipse (cuius stabulum, interea, iterum fœdum erat), Aves Stympthalides (unguenta redolentes), Taurus Cretæ (nunc in urbe Marathonia pacifi-

ce habitans), tres Equæ Diomedis (et illæ frugivoræ factæ), Hyppolita (balteo aureo induta), Geryon (iam senex, cum baculo), Hesperides (poma edentes) et Cerberus (canis tranquillus, ob strepitum tremefactus). Eurystheus omnes scrutatus est, pallens sorte futura, posthac, fulmine velocior, in dolium se abscondidit. Interea leo Nemeæus ad Herculem appropinquavit. «Amice, Ulixes nobis cuncta narravit. Pro pudor! Nemo dixerit grapheocratom conari ut titulo heroem tam clarum orbaret! Perfidiam maximam! Nisi frugivorus essem, Eurystheum confestim dentibus unguibusque lacerarem.»

Scriba, audiens hæc, imploravit: «Hercules, misere mei! Feras istas aufer!» Ulixes respondit. «Amice, noli properare. Forte hic chartam habeo, quæ tibi sub-

scribenda est.» «Charta?» «Est textus simplex, Æneas verba mihi dudum suggestit: Ego, Stheneleius Eurystheus, grapheocrates maximus, nec metas rerum nec tempora pono. Herculi titulum herois sine fine dedi.» «Nefas, numquam id subscribam!» «Hora prandii prope est et leo fame laborat.» Belua Nemeæa, quæ ante dolium advenerat, oscitavit. Eurystheus in dedicationem statim venit atque chartam signavit. Hercules scriptum ad cælum tollit: «Victoria!» Monstra et heroes una voce clamaverunt: «Io! Triumphe!» Æneas, qui iam de poemate hexametrico laboris illius diei conscribendo cogitabat, inquit: «Amice, semper honos nomenque tuum laudesque manebunt!» «Paulum et nobis» dixit illi Ulixes chartam indicans. «Nam mehercules magni artificis est cluisse totum in exiguo.» ❧

DE NOVIS LIBRIS

CHRISTIAN LAES, *Beperkt? Gehandicpten in het Romeinse Rijk*, Leuven, Davidsfonds, [2014], 297+(7) pp. ill. – ISBN 978-90-5908-524-4.

Hoc opere scite composito, quartum iam nisi nos memoria fallit, vir doctus Christianus Laes, *Melissæ* lectoribus probe notus, de quibusdam condicionibus socialibus apud Romanos antiquos disserit, Batavorum, Nederlandica scilicet, lingua usus.

Argumentum huius operis illæ sunt corporis vel mentis debilitates et infirmitates et impedimenta, quæ sive sint congenita, ab initio scilicet vitæ ducta, sive calamitate quadam vel morbo decursu temporis orta, quibusque sicut et nostro, ita et antiquis temporibus complures afficiebantur homines, quos Latino vocabulo «mancos» fortasse vel «imbecillos» pressius appellare convenit. Est autem condicio eorum sat diversa, neque videtur, ut sæpenumero fit, hæc notio apud antiquos singulari fuisse atque peculiari mentione digna. Qua re iam perspectam habemus (quæ neque latuit auctori) rei investigandæ haud parvam difficultatem: ex fontium scilicet copia et varietate ea decerpere atque excipere quæ certo certius hanc denotent singularitatem. Est etiam fontium copia prorsus immensa atque immanis maximeque varia. Est præterea multo latior rerum conspectus in hoc libro qui quamvis de mancis hominibus in Imperio Romano inscribatur, præter maximam locorum et fontium varietatem et Homerum, Græcorum vatem, tamquam cæcorum exemplum, et Bedam Venerabilem, Anglorum rerum scriptorem de muto quodam disserentem, complectatur, cum vix sub

unico titulo veniant «Imperii Romani», neque uno conspectu, unave comprehendi ratione posse videantur.

Tractantur autem variis capitulis, sermone copioso atque erudito permultisque exemplis allatis (plerumque autem non Latine neque Græce, sed Nederlandice tantum versis) primum infantuli a partu recentes, quorum magna pars in cunis occidens non ultra primum vitæ annum videtur superfuisse, præcipue cum agatur de monstris, dein fit sermo de amentibus, sive furiosi sint sive perpetuo mente capti sive ingenio tardi, demum de cæcis, de surdis et mutis, de balbutientibus, de mancis. Quid apud antiquos medici, quid philosophi, quid theologi, quid rerum scriptores de eis senserint vel iudicaverint, quo pacto ipsi vixerint, impedimenta eorum percepta sint, quo modo munera obierint, cum aliis communicaverint, enarratur.

Hic liber hac etiam de causa singularis atque insignis est, quod prima exstitit huiusce argumenti in universum elucubratio atque inquisitio quæ omnes profecto iuvabit quorum de hac humana condicione apud antiquos Romanos interest doceri. Accedunt autem sub finem operis præter adnotationes et libros copiose adhibitos indices perquam utiles rerum notabilium, fontium, atque hominum aliquo morbo affectorum. ❧

Volfgangus JENNIGES

In hoc fasciculo !

Quid minimum sit discipulos docendum (II) [G. Licoppe] p. 1
De litteris sæculi XVIII Latinis prolusio (I) [Th. Sacré] p. 4
Melos obstinatum [D. Blanchard] p. 8
Atlantis. II - Athanasius Kircher [F. Deraedt] p. 9
Chartapolis sive De grapheocratia [M. Cristini] p. 12
Bibliotheca Latina p. 16

Imago tegumenti: turrim Babyloniam lunam attingere non potuisse: Athanasius Kircher, Turris Babel, 1679.

Latine loqui :

Conventiculum Bostoniense - 25 m. Iulii - 2 m. Augusti a. 2015
www.conventiculum.org

Conventiculum Dickinsoniense - In Pensilvania, 6-12 m. Iulii a. 2015
http://www.dickinson.edu/info/2003/classical_studies/61/teacher_workshops

Conventiculum Latinum - Lexingtoniæ, 22-29 m. Iulii a. 2015
<http://mcl.as.uky.edu/conventiculum-latinum-lexingtoniense-2015-latine>

Feriæ Latinæ Ferigoletenses - 16-23 m. Iulii a. 2015
marie-antoinette.avich@orange.fr

Linguæ Latinæ institutio æstiva - Romæ apud Academiam Vivarium Novum
<http://vivariumnovum.net>

Septimanæ Latinæ Europææ - Amœneburgi, 1-8 m. Aug. a. 2015
Frisingæ, 23-29 m. Aug. a. 2015
<http://www.septimanalatina.org>

Societatis Latinæ seminaria Latinitatis vivæ - In abbatia Ottiliensi, in Bavaria, 13-18 m. Iul. a. 2015
In oppido Theulegio, in Saravia, 9-15 m. Aug. a. 2015
www.voxlatina.uni-saarland.de

MELISSA, folia perenni Latinitati dicata, sexies in anno edita.

Pretium annuæ subnotationis : 20 eur. / 25 \$

BNP Paribas Fortis :

BIC : GEBABEBB, IBAN : BE13 0016 2871 1539

